SENTENTIA LATA in S.S.R.C. Aragonum die 15. Februarij 1599. pro D. Petro Vich

CONTRA

D. Raymundum de Rocafull.

ATTENTO, quòd ex vltimo testamento & clausula fideicommissi instituti per don Hieronymum Vich antiquiorem, apparet, dictum D. Hieronymum instituisse sibi hæredem vniuersalem D. Ludouicum Vich, eius filium, eidemque prælegasse domum magnã, sitam in ciuitate Valentiæ, & quatuor decim mille solidos de annuo redditu, & eidem in dicto prelegato substituisse D. Hieronimum Vich, primum filium masculum & nepotem suũ ex dicto Ludouico, si foret viuus, & post dicti D. Hieronymi mortem, aut casu quo viuus non foret, descendentes masculos ex eo vsque in infinitum præferendo in præfato fideicommisso primogenitum masculum, & descendentes masculos illius, secundo & tertio genitis filijs, & descendentibus eiusdem vsque in infinitum, seruato semper inter ipsos ordine primogenituræ & maioratus, & si contigeret prædictum Hieronymum iuniorem decedere absque filijs, nec alijs descendentibus masculis, vt dictum est, tali in casu voluit, quòd dictum prælegatum & fideicommissum pertineret secundo filio dicti D. Ludouici Vich, & post illius mortẽ, descendentibus masculis eiusdem, seruato semper, inte ipsos ordine primogenituræ, vt dictum est, digressusque fuit dictus testator ad plures alios gradus substitutionum, tam filiorum & filiarum dicti Ludouici eius filij, quàm filiarum dicti testatoris, & descendentium masculorum ex illis. Ac tandem omnibus supra dictis, tam per lineam masculinam, quàm fœmininam descendentibus deficientibus, ad dictum fideicommissum inuitauit D. Ludouicum fratrem testatoris, ac filios, & descendentes masculos ex filijs & filiabus dicti D. Ludouici fratris, eodem ordine quo

anteà suam posteritatem vocauerat, & postremo ex quo suæ intentionis erat, vt bona in dicto fideicommisso contenta in perpetuum conseruarentur ijs qui in eo succederent, & ad conseruationem sui nominis, agnationis, & familiæ, ob id prædictorũ bonorum alienationem, transportationem, & obligationem prohibuit, ex quacunque causa necessaria, aut voluntaria, cogitata, aut incogitata, nec non etiam deinceps omnibus suis successoribus generaliter imposuit onus ferendi nomen & arma ipsius purè & simpliciter absque mixtura aliorum nominis & armorum, prout hæc omnia seriosiùs disposita apparent ex dicto testamento recepto per Franciscum Vallester Notarium publicum die trigesimo primo mensis Decembris, anni millesimi quingentesimi trigesimi quarti. Ex qua dispositione apertè liquet, perpetuum fideicommissum fuisse institutum in fauorem omnium descendentium masculorum ipsius testatoris, & fratris sui iure maioratus seu primogenituræ. Resultat præterea, dictum D. Ludouicum filium & prælegatariũ in Oppido, seu Baronia de Lauri, alijsque locis & molendinis, & bonis omnibus (quibusdam exceptis) ad eum pertinentibus, hęredẽ vniuersalem sibi instituisse D. Hieronyum Vich filium eius primogenitũ legitimum & naturalem, cum eisdem pactis, vinculis, & conditionibus, appositis in præfato prælegato per D. Hieronymum Vich eius patrẽ facto: quę quidem pacta, vincula, & conditiones, substitutiones, & vocationes voluit in perpetuum obseruari, & haberi pro insertis, expressis, ac continuatis, ac si de verbo ad verbum essent in ea descripta absque mutatione aliqua ordinis & dispositionis illius, prout latiùs ex testamento dicti Ludouici apparet, quod receptum fuit per Ioannẽ Guardiola Notarium publicum, die vigesimaquarta mensis Decembris anni millesimi, quingentesimi, octuagesimi, quarti. Et ita in viam iuris iudicandum est de prędicta Baronia de Lauri, & bonis in hæreditate dicti D. Ludouici recadentibus, ac de bonis in supradicto prælegato relictis & vinculatis: In quibus omnibus (vt ex meritis processus constat) post mortem dicti D. Ludouici successit D. Hieronymus Vich eius filius primogenitus, nepósque dicti D. Hieronimi vinculatoris, & post D. Hieronymum iuniorem successit D. Guillelmus Vich eius filius, qui (nulla relicta sobole) ab humanis sublatus est, superuiuentibus D. Petro Vich, eius patruo, nempe, filio secundo genito dicti D. Ludouici, & D. Raymundo de Rocafull, nepote ex D. Mencia Vich prædicti D. Hieronymi iunioris filia, & dicti

D. Guillelmi

D.Guillelmi sorore. Et attento, quòd in prima substitutione in dicto prælegato seu fideicōmisso apposita fuit specialiter & nominatim vocatus D.Hieronymus Iunior & successiuè omnes illius descēdentes masculi, præferendo primogenitū masculum, & descendentes masculos illius secūdo & tertio genitis filijs & descendentibus eiusdē vsque in infinitū; & quòd ex iuris dispositione licèt appellatione descendentiū masculorum ex vi & proprietate verborū comprehendantur masculi ex fœminis, tamen in dispositione seu institutione facta per masculū, & vbi institutus est masculus, & substitutus etiā masculus, & sic fuerunt vocati, & substituti, & positi in conditione tantū descendētes masculi, intelligi debent solum vocati masculi per lineā masculinam descēdentes, ex tā recepta iuris Doctorū censura, vt ab ea tāquam vera & indubitata nō esse recedendum testentur. Nam cùm in præsenti dispositione habita fuerit ratio cōseruandæ agnationis, masculi ex masculis censentur tantum vocati, non verò masculi ex fœminis, qui cognati sunt. Nec dicendū est, testatorē non fuisse intentum conseruationi agnationis, ex quo post deficientiā omnium descendentiū masculorum, pluries vocauerit descendentes masculos, tā ex Domna Violante, & Domna Ludouica, suis filiabus, quàm etiā ex filiabus dicti Ludouici: & sic solum habuisse respectum videtur ad nudā masculinitatem, quasi agnatio tantū eo casu contēplata censeatur, vbi masculi taxatiuè vocantur, fœminæ verò, & ex eis descendentes, nullo casu. Nā ratio conseruādæ agnationis considerari potest absolutè, & sine aliqua præfinitione, vt quando nullibi in tota dispositione vocantur fœminæ, seu ab eis descendentes, sed solùm masculi; vel restrictè, aut limitatè ad gradus, vel substitutiones, incipiētes à masculo agnato, si vocentur tantùm descendentes masculi ab eo. Si quidē in gradibus substitutionū, vbi vocat descendentes masculos, nulla alia ratio reddi potest, nisi quia voluit testator agnationē suam conseruari, quæ quidē per masculos descendentes ex masculis propagatur, licèt in alijs gradibus, vbi fœminarum descendentes masculos vocauit, non habeat locum ratio conseruandæ agnationis. Voluntas namque testatoris ea fuisse videtur, vt primò prouideret descendētibus masculis, qui conseruant agnationem, & eis deficientibus, masculis ex fœminis descendentibus, cum hoc vt ipsi etiam eo meliori modo quo possunt conseruent agnationem, & nomen agnationis, portando nomen & arma: & descendentibus suis nō extantibus, agnatū masculum collateralē

fra-

fratrem suum vocauit. Et quemadmodũ si expressa fuisset ratio conseruandi agnationẽ in certis gradibus, vel respectu certarũ personarum, etiã si in defectu omniũ descendentium masculorũ vocasset fœminas, seu descendentes ex eis, nihilominus tamẽ diceretur contẽplata agnatio quoad illos gradus & personas, ita etiam dicendum est in agnatione tacita, aut subintellecta, quę sumitur ex dispositione masculi, ac vocatione, & substione masculorũ, & descendentium masculorũ ab eis, ex eò quòd eadem sit virtus taciti & expressi, & ratio subintellecta operatur eosdem effectus, quos expressa. Quod intelligendũ est, procedere quoad eos gradus, vbi masculus agnatus instituitur, & substituũtur descendentes masculi ab eo; dum tamẽ institutio seu substitutio nõ extendatur ad personas & gradus, de quibus non fuit facta dispositio. Nec omittendũ est, quòd testator nullo modo vocauit fœminas descendentes ex se, neque ex Ludouico filiõ; ita quòd in tota ista dispositione non reperitur vocata, nec substituta fœmina: sed deficientibus masculis propriè agnatis (quales sunt in prima parte dispositionis vocati) transiuit ad vocationem, non quidẽ fœminarum, sed masculorũ, etiam, qui deficientibus descendentibus agnatis masculis supererant ex sua descendentia, qui erant masculi, per fœminas descendentes, constituendo ex eis alterã & impropriã agnationẽ, nullo modo fœminas admittendo. In quo manifestè apparet intentio conseruandæ agnationis inter suos descendentes, primo loco verè & proprie, cùm solũ vocauerit filios masculos D. Ludouici, & eorũ descendentes masculos, qui verè & propriè agnati sunt, secundo loco impropriè & fictè, vocando omnes alios masculos à se descendentes, cũ onere ferendi nomẽ & arma testatoris, sine aliqua mixtura, & nõ admittendo aliquã fœminã. Intentionẽ verò conseruãdi agnationẽ, maximè indicant, & manifestant verba à testatore post nonũ gradũ substitutionis prolata, dum bonorũ suorũ alienationẽ prohibens, ex quacunque causa voluntaria, aut necessaria, cogitata, aut incogitata, eam rationẽ adiecit; quia suæ intentionis erat, quòd prædicta bona conseruarẽtur illis, qui in dicto vinculo succederent, & adconseruationẽ sui nominis, agnationis, & familiæ. Quæ verba cùm sint synonoma, & idẽ significẽt, secundũ subiectã materiã, negari non potest, expresse habitã & consideratã fuisse rationẽ conseruandæ agnationis, vt inde tantò euidentiùs resultet, in hoc casu appellatione descendentium masculorum, solùm venire masculos per linaam masculinam descen-

cendentes, sicuti proprium est agnationis. Et quamuis nomen possit conseruari per masculos descendētes ex fœminis, qui fuerunt secundo loco vocati, familia & aguatio verè & propriè nō conseruatur nisi per masculos descendentes ex masculis: & nisi dentur aliqui gradus substitutionum, in quibus de his tantùm testator intellixit; nō potuisset dicere (prout dixit) velle esse prohibita alienari in conseruationē nominis, agnationis, & familiæ. Ideòque, si intelligimus, quòd in primis tribus gradibus substitutionū, filij primogeniti, & secundo geniti, & aliorū masculorū dicti D.Ludouici, & descendentiū masculorū ab eis, intellexerit de masculis descendentibus per lineā masculinam, bene se habēt, & quadrant illa verba ad conseruationē mei nominis, agnationis, & familiæ, & quadrabunt etiā illa (Et si dictus D.Ludouicus filius meus, & D.Ludouica, & D.Violans filiæ meæ decesserint sine filijs masculis, nec alijs descendentibus, tā per lineam masculinā, quàm fœmininā, sicut suprà est dispositū & ordinatū) vbi testator, qui solùm masculos descendentes à se vsque ibi vocauerat, exprimit distinxisse lineā masculinā à fœminina, quod fieri non poterit, nisi intelligamus, in aliquibus gradibus substitutionū præcedentiū, descendentiū masculorū appellatione, solùm masculos per lineā masculinam descendentes cōprehendi, in alijs verò per lineā fœminininā. Ob id necessario fatendū est, in primis tribus gradibus substitutionū, vbi vocantur & substituuntur filij masculi D.Ludouici, & eorum descendentes masculi, solum cōprehendi masculos ab eo descendentes per lineam mascuilnā. Quòd autem in dictis primis tribus gradibus solūmodò intelligantur vocati masculi per lineā mosculiuam descēdentos, vrget ea consideratio, quòd testator in successione suorum descendentiū masculorum duos constituit casus principales diuersos, primum, sub conditione, si D.Ludouicus decesserit cum filijs & descendentibus masculis, alterū, sub contraria conditione, si decesserit sine filijs & descendentibus masculis; & in primo casu fuerunt facti dicti tres gradus substitutionum, in quibus substituuntur & vocantur D.Hieronymus, primogenitus D.Ludouici, & eius descendentes masculi, & filius secundo genitus, & eius descendentes masculi, & filius tertiogenitus, & reliqui filij masculi D.Ludouici, & eorum descendentes masculi. In secūdo casu sunt vocati & substituti masculi filij, & descendentes filiarum, & aliarum fœminarum dicti D.Ludouici: & cùm hi duo casus sint concepti sub contraria conditione, & contrariorum

eadem sit disciplina, & cognitio, cognito, quòd in secundo casu concepto sub dicta conditione. Si D. Ludouicus decesserit sine filijs & alijs descendentibus masculis, sunt masculi descendentes per fœminas à dicto D. Ludouico. Cognoscimus etiam, quòd testator in primo casu concepto sub contraria conditione, Si D. Ludouicus decesserit cum filijs & descendentibus masculis, solùm substituit & vocauit masculos descẽdentes per lineã masculiuã. Itaque, si conditio illa (Et si dictus D. Ludouicus quando cunque decesserit sine filijs legitimis & naturalibus, nec alijs descendentibus masculis) solùm refertur ad descendentes per lineã masculinam à dicto D. Ludouico (quod necessario fatendũ videtur, cùm sub dicta conditione fuerint vocati descendentes masculi ex fœminis dicti D. Ludouici) sequitur, quod in anterioribus gradibus, & substitutionibus, solùm fuerint vocati filij masculi D. Ludouici, & eorũ descendentes masculi per lineã masculinã; cùm ea sit natura substitutionũ, vt ad sequentes gradus perueniatur in defectum personarũ contentarum in prioribus gradibus. Sequeretur quoq; superfluitas & repugnãtia (quę vitanda sunt, dũ commodè fieri potest) si in dictis tribus essent substituti & vocati nõ solũ masculi descẽdẽtes per lineã masculinã, sed descẽdẽtes per lineã fœmininã. Huicque interpretationi cõueniunt illa verba sexti gradus substitutionũ, Et si ex dicto D. Ludouico filio meo nô superuixerint filij, nec filiæ, nec descendẽtes masculi per lineã masculinã nec fœmininã, sicut supràdictũ est, quæ denotant hanc linearũ distinctionẽ: & cùm eã antea nullibi verbis expressis factã inueniamus, superest, vt intelligamus, in primis tribus gradibus sensisse de masculis per lineã masculinã descẽdentibus. Quod maxime cõprobatur ex eo, quòd in sexto & septimo gradu substitutionis, vbi fuerunt substituti & vocati filius masculus D. Ludouicæ, & eius descendetes masculi, & filius masculus D. Violantis, & eius descendentes masculi, appellatione descendentiũ masculorũ, solùm cõprehenduntur masculi descendentes per lineã masculinã à dictis filiabus: & in eorũ defectũ octauo gradu & loco substituit, & vocat descendenres masculos per lineã fœmininã à dictis filiabus. Cùm ergo testator, qui vnicum habebat filiũ masculum Ludouicũ, & duas filias Ldouicam & Violantẽ, in vocatione descendentiũ masculorum dictarum filiarum, sic se habuerit, vt prius vocauerit filios masculos, & descesdentes masculos per lineam masculinã dictarum filiarum, & in eorum defectũ descenderit ad vocationẽ, & substitu-

titutionem descendentium masculorum per lineã fœmininã à dictis filiabus, manifesta & euidens est coniectura, quòd idem fecerit & voluerit in vocatione & substitutione in vocatione & substitutione descendentiũ masculorũ à D. Ludouico, vt scilicèt priùs vocauerit & substituerit filios masculos, & descendentes masculos per lineã masculinam dicti D. Ludouici, quàm descendentes masculos per lineã fœmininã ab eo. In sexto autem & septimo gradu substitutionis solùm fuisse vocatos & substitutos filios & descendentes masculos per lineã Ludouicæ & Violantis filiarum testatoris, conuincere videtur octauus gradus substitutionis, quo in loco fuerunt vocati & substituti masculi descendentes per lineã fœmininã à dictis filiabus Testatoris; vt inde constet, anteà in dictis sexto & septimo gradu non fuisse substitutos & vocatos nisi tantũ masculos descendentes per lineã masculinã ab eis: dari autem lineã ex fœminina, natura ipsa demonstrat.. Denique præfatã linearũ distinctionẽ manifestè indicare videntur verba noni gradus substitutionis, dum dicit: Et si dictus Ludouicus, filius meus, & dicta Ludouica, & Violans, filiæ meæ, decesserint sine filijs masculis, nec alijs descendentibus, tã per lineã masculinam quàm fœmininam, vt suprà est dictum, dispositum, & ordinatum: vbi præsupponit Testator, fecisse lineam masculinã & fœmininam, tam ex Ludouico filio, quàm ex Ludouica, & Violante filiabus: & illa verba, Sicut suprà dictum, dispositũ, & ordinãtũ est, tam geminata, vltra qnòd enixam voluntatem linearũ demonstrant, sunt etiam relatiua, & probant hanc distinctionem superius essa factam, tam respectu filij, quam filiarum. Quæ cùm ita sint, necessariò dicendum videtur, lineã masculinam D. Ludouici filij instituisse in tribus prioribus gradibus substitutionis, & fœmininam eiusdem in quarto & qninto gradu; & lineã masculinã Ludouicæ & Violantis instituisse in sexto & septimo grãdu substitutionis, fœmininã verò in octauo. Vnde cum in nostro casu semper sint masculi descendentes per lineam masculinam à Ludouico primo instituto, & non adsit substitutus masculus per lineã masculinam a dicto D. Hieronymo Vich, sub illa conditione, si casus euenerit, quòd dictus D. Hieronymus Vich, primus filius masculus dicti D. Ludouici filij mei, decesserit sine filijs masculis, nec alijs descendentibus masculis, nullo modo nepos ex filia dicti D. Hieronymi facit deficere conditionẽ, nec excludit substitutum agnatum masculum D. Petrũ Vich. Ac ideò cum constet dictum D. Petrum esse masculum, &

filium

filium secundogenitum in casu secuto D. Ludouici, ipse admitti debet ad fideicommissum, post mortem D. Guillelmi vltimi possessoris filij D. Hieronymi iunioris, ac sine filijs & descendentibus præmortui, excluso D. Raymundo de Rocafull, nepote ex Domna Mencia, filia eiusdem D. Hieronymi iunioris, ac sorore Guillelmi. Neque huic resolutioni obstat, quòd pro parte D. Raimundi de Rocafull prætenditur, appellatione descendentium masculorum in primo gradu substitutionis, venire tam masculos descendentes per lineam fœminam a D. Hieronymo Vich primo instituto, quam masculos descendentes per lineam masculinam. Nam (vt superius dictum est) in tribus prioribus gradibus, quia Testator fuit masculus, & primo institutus eius filius masculus, & substituti nepotes masculi a tali filio masculo, cum suis descendentibus masculis, intelligitur habita ratio conseruãdæ agnationis, & hoc casu appellatio descendentium masculorum, non porrigitur ad masculos descendentes per lineã fœmininam: quòd tam inspecta iuris dispositione, quam ex mente disponentis, manifestum videtur, appellatione descenedntium masculorum in tribus prioribus gradibus substitutionis, solum venire & comprehendi masculos descendentes per lineam masculinam a D. Ludouico primo instituto, & filios masculos illius. Ne refert, quòd dicitur, testatorem in eodem testamento, & in eodem prælegato, vocando descendentes masculos ex fœminis, plus quam triginta vicibus non fuisse vsum diuersis verbis, sed unico & eodem sermone vocasse descendentes ex fœminis, & descendentes ex masculis, his verbis: Decendents mascles, quæ consuetudo & modus loquẽdi Testatotis, est manifesta declaratio voluntatis; Nam (vt superius dictũ est) non solum in tribus prioribus gradibus substitutionis, vbi fuerunt vocati & substituti masculi descendentes ex filijs masculis D. Ludouici primo instituti, sed etiam in quarto gradu, vbi fuerunt vocati & substituti descendentes masculi ex filijs masculis filiarum D. Ludouici, & in sexto & septimo gradu, vbi fuerunt vocati & substituti masculi descendentes ex filijs masculis filiarum Testatoris, appellatione descendentium masculorum manifestè intellixit Testator de deseendentibus masculis per lineam masculinam a filiabus suis Ludouica & Violante, & a filiabus D. Ludouici primi instituti. Vnde cum dicta verba, Decendents mascles, sint communia tam ad masculos descendentes per lineam masculinam, quam per fœmininam, mirum non est, quod eodem modo lo-

quendi

quendi promiscuè vtatur,singula(prout dici solet) singulis referendo,& lineam masculinam,seu fœmininam,adaptando menti Testatoris,& certis ac particularibus gradibus ab eo dispositis.Neque dictio,In infinitũ,qua testator vsus est in primo gradu substitutionis,potens est,vt comprehendantur omnes descẽdentes,tam per lineam fœmininam,quam masculinam. Nusquã enim illud verbum extendit dispositionem ad terminos,quibus non adaptatur,sed solum intra illos. Et cùm superius resolutum fuerit, in tribus prioribus gradibus,Testatorem solum intellexisse de masculis per lineam masculinam, & non de alijs, verba, In infinitum,ibidem posita,non alios includent,sed importabũt hanc infinitatem,seu perpetuitatem inter ipsos masculos per lineam masculinam,& non alios includent,sed eis finitis,transitus fiet ad alias substitutiones.

Prætereà non obest,quod dicitur,quod si in dicto primo gradu substitutionis,appellatione descendentium masculorum non essent comprehensi descendentes masculi per lineam fœmininam dicti D.Hieronymi primo substituti, sequeretur absurdum, & contra mentem,& prædilectionem, & voluntatem ipsius Testatoris,vt scilicet descendentes masculi ex fœminis dicti Hieronymi primo loco substituti,& magis dilecti essent perpetuò exclusi à dicto fideicommisso,& deterioris conditionis,quam descendentes maculi filiæ D.Ludouici,& quã alij masculi Ludouicæ & Violentis minùs dilecti,& posteriori loco substituti.Et quod ampliùs est essent deterioris conditionis, quã descendientes masculi ex fœminis D.Lndouici,fratris Testatoris, qui in vltima substitutione reperiuntur expresè vocati : quinimò cùm dictus Testator expresè vocauerit ad successionem suam abnepotes masculos ex nepte D. Ludouici filia filiæ ipsius Ludouici,qui erant prorsus alienæ familiæ, multò magis dicendum est, eum voluisse vocare abnepotes masculos eiusdem Ludouici procreatos ex nepte filia Hieronymi,quæ fuit sibi agnata ex linea magis dilecta descendens. Nam filij & descendentes masculi dictarum fœminarum non fuerunt præteriti in hac substitutione, sed vocati & substituti post masculos descendientes per lineam masculinam à D.Ludouico primo instituto,videlicèt,in quarto gradu substitutionis ibi,& post obitum illarũ,& cuiuslibet earum dictum prę legatum,seu pars illius, quæ decesserit pertineat ad filiũ masculum dictæ filiæ maioris dicti D.Ludouici,si vixerit,ita quod totum dictũ prælegatum in solidum pertineat post obitum dictarũ

Ludo

Ludouicæ, & Violantis filiarum mearum, & dictæ filiæ maioris dicti D. Ludouici ad filium maiorem dictę filię moioris D. Ludouici filij mei, & ad eius descendentes masculos vsque in infinitũ; vbi fatendum est, verbum, Filia, comprehendere neptem, & reliquas descendentes fœminas à dicto Ludouico filias descendentium masculorũ, cùm generale sit in fideicommissis perpetuis, & Hispanorum primogenijs filiorum appellatione, nepotes, pronepotes, & cæteros descendentes, comprehendi, & quod nepotibus substitutis pronepotes, & cęteri descendentes substituti intelligantur. Reperiuntur etiam vocati masculi descendentes ex filia D. Hieronymi in quinto gradu substitutionis, ibi veniat & pertineat ad filiũ maiorem filiæ, quę in dicto casu reperietur prima in dicto ordine primogeniturę, cùm enim mater Raimundi de Rocafull sit ea fœmina, quæ primum locum obstinet in ordine primogeniturę, post masculos descendentes per lineam masculinam, meritô eius filius potest & debt dici vocatus ibi & substitutus. Est etiam nominatus in versiculo sequenti, ibi: Ita quod dictus filius & pronepos dicti Ludouici filij mei habeat integrè dictum prelegatum, & descendentes illius, seruato dicto ordine primogeniturę. Sunt etiã dicti masculi positi in conditione sub qua fit trãsitus ad sextum gradum substitutionis, cùm dicat ibi testator: Et si ex dicto D. Ludouico filio meo non superuixerint filij, nec filiæ, nec descendentes masculi per lineam masculinam, nec fœmininam, sicut suprà dictum est, &c. Ex quibus verbis elicitur cõprobatio factę substitutionis, vel in quarto vel in quinto gradu, cùm testator aperiat se distinxisse lineam masculinam à fœmina: ac etiam, quod ex quo sunt positi in hac conditione, etiam si anteà vocati nõ fuissent, hic vocati censerentur ante filios, & descendentes masculos Ludouicæ & Violentis, filiarum Testatoris, ad quorum vocationẽ & substitutionem fit transitus per dictam conditionẽ. Cum certum sit in maioratibus, & fideicommissis perpetuis, & successiuis, positos conditione, intelligi dispositiuè vocatos: hoc animauerso, quod substitutio, quæ ex hoc loco intelligitur, non potest ante poni substitutionibus factis in secundo, & tertio gradu, sed substitutio, quæ ex hac conditione sumitur, ante ponitur sequentibus substitutionibus post illam. Tum etiam alicuius considerationis non est, quod Testator habuerit singularẽ affectionem ad D. Hieronymũ iuniorem, & ad eius lineam & descendentiam, quia erat natus & cognitus: quam non habuit ad D. Petrum Vich, nec ad alios filios D. Ludouici

douici primo instituti. Nam cum testator de dictis bonis constituerit vinculum & primogenium perpetuum in fauorem descentium masculorum, in quo voluit succedi ordine primogeniturę, post Ludouicum filiũ masculum primo institutum, necessario (seruando ordinẽ primogeniturę) erat vocandus, & substituendus D. Hieronymus Iunior eius filius masculus primogenitus. Nec in hoc aliqua particularis affectio, sed ipse ordo primo geniturę induxisse eum videtur ad sic faciendum, & disponendum: & aliorum filiorum masculorum D. Ludouici non potuit nomina exprimere, quia nondum erant nati: expressit autem nomine appellatiuo, quo potuit. Vlterius difficultatem non faciunt verba apposita in sexto gradu substitutionis, vbi dicit. Et si ex dicto Ludouico non superuixerint filij, nec filiæ, nec descendentes masculi per lineam masculinam, nec fœmininam, sicut suprà dictum est, quæ etiam reperuntur in nono gradu substitutionis. Nam quàm uis ea verba sint expressa in dictis conditionibus, tamen probãt, & declarant, qualis fuerit mens disponentis in præcedentibus substitutionibus, & quod distinxerat lineas masculinas à fœminis, vt suprà dictũ est. Et quãuis in superioribus verbis nõ expressa essent, pro expresso habendũ erat, cũ conueniat iuris dispositio, & mens disponentis. Nec etiam obstat, quòd dicitur verisimile non est, quod Testator, qui tamen enixè perpetuitatẽ dicti legati cõsiderauit, & eius conseruationem in suis descendentibus maculis in infinitum, eandem infinitatẽ toties repetendo, voluisse excludere descendentes masculos ex filiabus & neptibus eiusdem D. Hieronymi, & aliorũ masculorum descendentium ex ipso. Nã (vt superius dictum est) verbũ. In infinitum, non extendit dispositionem ad terminos, quibus non adaptatur, sed solum intra illios, maximè cum in occurrenti casu non tam agatur de excludendo masculo ex fœmina descendente in perpetuum, quàm quòd masculus per lineam masculinã descendens, præferatur masculo per fœmininam lineam descendenti. Secundũ quam intelligentiã non reperiuntur vocatæ ad istud fideicommissum pauciores personæ numero, quam vocantur secundum intentationẽ D. Raimundi, imò eædem personæ numero sunt vocatæ & substitutæ, & solum stat differentia in ordine vocationum & substitutionum ita quod masculi, descendentes per lineã masculinã, censeantur vocati per priùs, descendentes verò per lineam fœmininam, per posterius. Præterea curandũ non est, quod D. Raimundus sit masculus proximior vltimo possessori, & quod est de linea prædilecta D. Hieronymi

ronymi Iunioris. Nã attendi non debet proximitas gradus & lineæ, nisi inter illas personas in quibus adest hæc æqualitas, quod scilicèt masculi sint per lineã masculinam descendentes. Tandẽ non obstat, quod pro parte D. Raimundi prætẽditur, ipsum obtinere debere in hoc iudicio possessorio, interim dum de viribus fideicõmissi, & substitutionum in eo appositarum discutitur. Quia cum euidenter doceatur, tam ex iuris dispositione, quam ex mente disponentis, in tribus dictis prioribus gradibus substitutionis masculos per lineã masculinã solùm fuisse vocatos, non ideò minus in possessione obtinere debet D. Petrus, cuius iustitia cùm cõstet ex ipsa dispositione, & ex coniecturis ex ipsa resultantibus tam efficacibus, & euidentibus, quæ liquidissimæ probationes dicuntur, perinde iudicandum est, ac si expressis verbis Testator in dictis tribus prioribus gradibus substitutionum, substituisset & vocasset filium secundo genitũ masculum D. Ludouici, quẽ constat esse D. Petrum in defectum descendentium masculorum per lineam masculinã à filio primogenito masculo D. Hieronymi iunioris, & in continenti docetur de suo iure ex eodem testamẽto, absque aliqua probatione extrinseca, nec retardatione processus & causæ. Quibus & alijs maturè perpensis deliberationem in S.S. R.C. factam insequendo, pronuntiamus, & declaramus, tradendam fore, & esse possessionẽ bonorum recadentium in prælegato, & fideicõmisso D. Hieronymi Vich antiquioris, & in hæreditate D. Ludouici Vich eius filij prædicto D. Petro Vich, vt cũ præsenti tradi mandamus, & condẽnadum esse, prout cum præsenti condemnamus D. Raimundũ de Rocafull, seu D. Ludouicum de Rocafull, eius patrẽ, & legitimum administratorẽ, illius minore ętate durante, ad relaxandã possessionẽ dictorum bonorum dicto D. Petro Vich, vnà cum fructibus, liquidatione illorũ reseruata, & consequenter pronuntiamus, bene fuisse supplicatũ per dictũ D. Petrum Vich, & minùs bene iudicatũ per nostrum Locumtenentẽ generalem, & Regiam Audientiam Valentiæ Regni, cum sententia lata die 18. mensis Martij, anni 1597. illamq; beneficio dictæ supplicationis reuocamus, & neutram partem in expensis condemnamus, sed pro bistractis executionem fieri mandamus.

Vidit Baptista Regens. *Vidit don Monserratus Guardiola Regens.*

Vidit Clauero Regens. *Vidit don Petrus Sans, Regens.*